Universitätsbibliothek Paderborn

Corpvs Doctrinæ Christianæ

Melanchthon, Philipp

Lipsiæ, 1572

VD16 M 2890

De Discrimine Idiomatvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

Visual Library

ἑνωσιμῶς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.

DE DISCRIMINE IDIOMATVM.

DISCERNENDAE ſunt appellationes, quæ ſignificant proprietates naturarum, & appellationes officij. Vt, propria ſunt humanæ naturæ, pati, vulnerari, mori. Propria autem diuinæ naturæ ſunt, eſſe omnipotentem, eſſe immortalem. Sed nomina officij ſunt, Mediator, Redemtor, Saluator, Sacerdos, Rex, Paſtor. Hæc nomina officij competunt perſonæ, non tantum humanæ naturæ. Quanquam autem actiones quædam ſunt in natura humana propriæ, vt dolores corporis & agones in paſsione: tamen miſsio filij fit ab initio Eccleſiæ. Filius perpetuo adeſt Eccleſiæ, patefacit promiſsionem, colligit & ſeruat Eccleſiam, & vult illam ſuam obœdientiam, eſt interceſſor, propitiator & ſaluator, propter illam futuram obœdientiam, quæ eſt perſonæ, poſtquam aſſumſit naturam humanam. Nec miſsio & obœdientia tollunt æqualitatem potentiæ, ſicut expreſſe inquit Cyrillus.

HINC modi loquendi conſiderentur. Veriſsima eſt propoſitio: Natura diuina non vulneratur, non moritur. Et rurſus veriſsimæ ſunt propoſitiones, cum de Chriſto loquimur: Chriſtus eſt vulneratus, Deus eſt vulneratus, Deus eſt mortuus.

QVAE EST RATIO DIVERSITATIS?

RESPONDEO. Propoſitio in abſtracto ſignificat naturam ſecundum ſe conſideratam, ideo neceſſe eſt dici: Natura diuina non moritur. Propoſitio in concreto ſignificat perſonam, ſeu ſubſiſtens ſeu ὑφιστάμενον, vt, Deus eſt homo. Chriſtus eſt mortuus. Deus eſt vulneratus. Deus eſt mortuus. Hæ propoſitiones veræ ſunt communicatione idiomatum. EST autem communicatio idiomatum, prædicatio in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto quia hæ duæ naturæ, λόγος, & natura aſſumta, ſunt vnum ὑφιστάμενον.

ARGVMENTVM.

Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.
Saluatio hominis eſt opus ad extra.
Ergo non aliter fit per Filium quam per Patrem & Spiritum ſanctum.

RESPONDEO. Vera eſt hæc regula: Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ſed ſeruata cuiuſq; perſonæ proprietate. Filius & Spiritus ſanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et æternus Pater eſt efficax, ſed per Filium & Spiritum ſanctum. Filius in mediatore proba-